

Prot. N. 45243/11 CA  
Suppressionis paroeciae

### DECRETUM

1. In quodam pago anno 1875 paroecia territorialis S. Thomae Aquinatis erecta est, anno 1882 paroecia personalis pro gallis S. Mariae Dominae Nostrae a Septem Doloribus, et tandem anno 1903 paroecia personalis S. Stanislai Kostka pro polonis. Anno 1998 paroeciae S. Thomae et Dominae Nostrae unitae sunt, manente utraque ecclesia. Ab anno 2003 cura pastoralis ambarum paroeciarum adhuc manentium concredita fuit eadem parocho.

Anno 2004, Episcopus dioecesanus, pastoralis munere nuper incepto, initium dedit processui investigationis et consultationis circa structuram paroeciarum in dioecesi, attento numero deminute sive sacerdotum sive fidelium, necnon condicionibus oeconomicis mutatis. Primum constituit s.d. “Planning Office”, quod dein studium analyticum paroeciarum faciendum curavit. Receptis anno 2007 conclusionibus, dictum officium dioecesanum constituit coetum nuncupatum “Pastoral Planning Committee”. Sub ductu dicti coetus, in unaquaque ex decem regionibus dioecesis habitae sunt duo consessiones, altera cum sacerdotibus et aliis ministris pastoralibus regionis, et altera cum laicis repraesentantibus unius-

cuiusque paroeciae regionis. Quibus peractis, coetus sua proposita confecit et Exc.mo Episcopo tradidit.

Quoad paroecias in pago de quo, studium analyticum statum quo commendavit. Postea vero coetus "Pastoral Planning Committee" proposuit ut duae paroeciae unirentur in unam, cuius unica ecclesia esset Dominae Nostrae. Exc.mus Episcopus, audito ad rem die 5 augusti 2008 Consilio presbyterali, litteris circularibus diei 9 augusti 2008 fidelibus paroeciae S. Stanislai Kostka nuntiavit unionem exstinctivam eorum paroeciae et clausuram ecclesiae paroecialis a die 1 ianuarii 2009: "... the two parishes will be consolidated into one new parish named for Pope John Paul the Great. The present church of Notre Dame will become [the] parish church of the new parish".

Instantia diei 14 augusti 2008, d.na N., membrum paroeciae S. Stanislai Kostka, reconsiderationem decisionis ab Exc.mo Episcopo petiit et die sequenti una cum aliis paroecianis aliam remonstrationem exhibuit. Litteris diei 26 augusti 2008, Exc.mus Episcopus saltem implicite propriam decisionem confirmare videbatur.

Proinde die 8 septembris 2008 d.na N., una cum sex aliis paroecianis S. Stanislai Kostka, recursum hierar-

chicum coram Congregatione pro Clericis interposuit adversus decisionem Exc.mi Episcopi quatenus respiciebat eorum paroeciam et ecclesiam.

2. Quo recursu recepto, die 24 septembris 2008 Congregatio pro Clericis omnes notitias utiles exquirit ab Exc.mo Episcopo, qui die 21 novembris 2008 explicationes una cum actis transmisit, incluso decreto suppressionis paroeciae interea die 8 octobris 2008 lato. Tandem decreto diei 24 ianuarii 2011 Congregatio pro Clericis reiecit recursum adversus suppressionem paroeciae S. Stanislai Kostka sed infirmavit reductionem ecclesiae S. Stanislai Kostka in usum profanum ob errorem in decernendo, nimirum ob defectum causarum gravium a lege requisitarum.

3. Quam adversus decisionem, quatenus suppressionem paroeciae S. Stanislai Kostka respiciebat, d.na N. aliique fideles die 21 martii 2011 provocaverunt ad H.S.T. Actis receptis iisque examini subiectis, audito Rev.mo Promotore Iustitiae deputato, Exc.mus H.S.T. Secretarius decreto diei 20 maii 2011 recursum in limine reiecit, utpote indubie et evidenter fundamento carentem.

Quod contra decretum, recurrentes ad Congressum H.S.T. provocaverunt. Re dein rite discussa inter Cl.mos recurrentium Defensores, Cl.mam Patronam Congregationis, Cl.mam Patronam Exc.mi Episcopi, necnon Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum,

**SUPREMUM  
SIGNATURAE APOSTOLICAE  
TRIBUNAL**

4. Praemisso quod, ad normam art. 123, § 1 Const. Ap. *Pastor bonus*, huius Supremi Tribunalis est cognoscere de recursibus adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit;

5. Quoad assertas violationes legis in procedendo relate ad auditionem Consilii presbyteralis can. 515, § 2 requisitam, perpenso quod Congregatio declaravit proceduram adhibitam in paroeciis uniendis correctam fuisse, inclusa consultatione cum Consilio presbyterali die 5 augusti 2008 habita, quodque ex actis sat constat in gremio Consilii omnium ex-quisitum fuisse consilium super proposita unione (cfr. can. 127, § 2);

6. Quoad assertas violationes legis in decernendo, considerato quod:

- Congregatio pro Clericis declarare haud praetermisit quod in singula paroecia suppressenda vel unienda imparia sunt argumenta quae, posthabitis praescriptionibus de quibus in cann. 517 et 526 atque in art. 4 Instructionis *Ecclesiae de mysterio* diei 14 augusti 1997, de numero fidelium et sacerdotum necnon de bonis temporalibus tantum in forma generali seu generica agunt; e contra semper ponderandae sunt circumstantiae concretae singulae paroeciae;

- In casu autem Congregatio, sese remittens ad motiva concreta in actis huius causae inventa, ea motiva declaravit rationabilia et praescriptis can. 515, § 2 consona; de facto satis constat ex actis de mutationibus in dioecesi et in pago de quo de facto habitis, de quibus scripsit ipsa d.na N.: “Both your Excellency and the Parishioners concur that prudent stewardship of resources requires consolidating the two existing parishes and three existing churches into a single parish with a single church building, in order to guarantee the long-term survival of the remaining parish and thereby ensure that every Catholic in the area will have equitable access to the sacraments”, ita ut unio exstinctiva paroeciae S. Stanislai Kostka vix et ne vix quidem arbitraria censeretur; nec detrimentum infertur bono animarum ex solo facto quod decretum unionis paroeciarum aliquibus paroec-

cianis inopportuno vel etiam illegitimo visum est;

7. Cum in casu, ergo, nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 20 maii 2011 submoventibus;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu die 21 decembris 2011 coram infrascripto Praefecto habito,

**decrevit:**

**Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 20 maii 2011, quo recursus reiciebatur ob evidentem et indubium defectum fundamenti.**

Pro expensis retinetur cautio a partibus recurrentibus in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 21 decembris 2011

Raimundus Leo Card. BURKE,  
*Praefectus*  
+ Franciscus DANEELS, o. praem.,  
*Secretarius*